DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XVIII. MARTII.

M. DIONYSIO IONQVET, Doctore Medico, & Horti Regij Botanico Profeſſore, Præſide.

An Aulicis mulieribus ſanitas firmior ab equeſtri venatione?

NATVRALIS partium conſtitutio actiones primo & per ſe perficiens ſanitas eſt, quæ tunc primum in aulicis mulieribus firmior lucet, cum membra quælibet ſuas obeunt operationes inculpatè, & congreditur cum ipſo pulchro evexia, ſuboriens à rerum non naturalium vſu legitimo, potiſſimúmq; ab exercitiis ex omni parte moderatis; cujuſmodi ſunt pilamalleus, ambulatio, parvæ pilę luſus, equeſtris venatio mulierum aulę; His enim corpus ſeſe exonerat recrementis, regia ſternitur via humoribus qui diſtribuuntur pro nutritione, vaſorum tubuli & cœci meatus ſolidarum apparantur ad excipiendos errantes ſpiritus qui ad vitam meant, aut ad motum & ſenſum animę impetu rapiuntur. Simillima, ſed inefficacius multò, exercitatio parva movet; ſenibus, pueris conveniens, vel à pręgreſſo mòrbo recens relevatis; Curulis vectatio, geſtatio in ſella, navigatio, trochus, lecti penſiles, cunæ. Valens enim vehemenſq; exercitatio, quæ nervis & omni perficitur muſculorũ niſu, annexamque habet cum agilitate velocitatẽ & robur; vna virtus Athletarum! Lucta, cæſtus, hoploma chia, pancratium, foſſio, laborioſa vita Ruſticarum inducunt polyſarchiam, lacertis addunt vires, & ad prĕmia in certaminibus promerenda homines reddunt corpore valentiores quam mente. Quæ vero glirium vitã vivunt Aulicæ, quas ſola deſidia fatigat, quęque totæ in talis & aleâ, excrementorum proventu quem nolunt mediocri exercitatione repurgari, merito cruciantur; illæ inquam, è Regiâ Medicos conſulunt fruſtra, pro imperanda aëris ſalubritate: cibi potûſque ordine, menſura & vſu definiendis: fruſtra ſomnus & vigiliæ acceptiſſima viciſſitudine ſuas implent horas: Incaſſum & animi pathemata, ad rationis normam inflectuntur: niſi ea quæ ſervari mos eſt, aut excerni debent in iuſta morentur ſtatione, qualem ab exercitio mediocri ideo prudentis ſemper erit Medici expectare, quòd eo nihil non robuſtum interaneis accedat, & firma corporis emergat conſtitutio. An bona valetudine potens animus corpori morbos dabit?

EXERCITATIO partim animi, partim corporis peracta motu, quę verſatur in Piſcibus, Auibus, aut Quadrupedibus, vi, dolo-ve capiundis, Venatio eſt. Prima ob hami tarditatem, aquarum tędium & injurias cauſaria, vilioribus fuit derelicta mancipiis: Accipitraria plus placet, nec Optimatibus indigna videretur, ſi ſana magis, aut minus eſſet plena ſervitutis: Tertia demum omni cognita ſæculo, nullis prohibita legibus & nobilior, Quadrupedes Canibus inſectatur & armis; ſive pedeſtris illa ſit, ſive fiat Veredo, vel Aſturcone; hæc caſta voluptas aulę, ingenium acuit & ſenſus, capitis languores tollit, pectoris curat morbos, viſcera reddit defœcatiora, & parit cum agilitate ἐυεξίαν Aulicarum: quę in craſtinum venaturę accerſunt lorarij miniſtrum Canis, rogant, an ad μελαγχίματα errantem, coegerit Cervum? an ex recrementis aut veſtigiis annos diſtinxerit & ſexũ? ſparſiſque hinc inde ramalibus facile ſit ad feram rediturus? dein ad conventum & frugale ſub herba prandium deſignant loca, atque vbi ſubſidiariis canibus & equis opportuniora ſelegerũt, proſtrata ſopore membra componunt lecto, in quo mens luderet ſine pondere, niſi venationis impatientiam probaret impotentia dormiendi; vnde quædam ante gallicinium ſurgunt, aliiſque placuit accenſis luminibus caſtigare Solis moram. Interim in futuræ oblectationis ſpeciem omnia diſponuntur, jam incondito murmure Servorum huc illuc ad officia properantium, Canum latratibus, & tubarum clangore perſonat tota domus; Iunguntur jumellis Canes; Venatrices ocreantur, quæ ſub cyclade breuiori feminalia ſubdunt, vt ſi fortè cadant equo, cura maneat, caſti decus ſervare pudoris; ſagum induunt murice ardens, & bracteis interpunctum argenteis, attalicæ veſtis fluentes ſinus attollit aurifibula; lata faſcia cingit lumbos, quos pendulum ex lora buccinum ſuppalpat blande; collecti tæniis in tutulum crines galerum excipiunt Indiarum divitiis, Ardeę & Strutiocameli inſignem plumis: nec injuriâ ſuperbum cordis tumorem placens ornatus leuat, proximáque venationis lætitia corpus ſaliens, nullo adjuvante conſcendunt Equos, maſcula ſeſſione mentiuntur ſexum, clamore ſimul & lituo Cervum inſequuntur fugientem, notant hallucinationem Canum, & caute adventitij Hinnuli cum juſto Cervo currentis eludunt fruſtrationem, dumque ſilvas Canibus quatiunt, & vtroque calcari Veredos vrgent, habent aliquid quod Hippolytus invideret.

CERVORVM ex Equis venatio, res ſane regia, magnum eſt tyrocinium belli, ab ea quippe vt filij Heroum & Ephœbi animo fortes, alterno fraudis, virtutis & excubiarum motu bellicoſiores fiunt, ſic & Heroïnę, nullo timoris pharmaco, ſola ſed periculorum aſſuetudine evadunt animoſiores. Hinc cum ad fines ſuos properans Cervus, ore nigro eſt, in genua procumbit, aut ſalit viâ regiâ, lacrymis nil vltra vitam, quam non exorat, rogaturus, vel pudibunda ſorte perit, vel vltima moriendi neceſſitas timido incutit cadmicæ votum pugnę; tuncque enervati corporis animoſum quatiens caput obuios Canes eviſcerat, circũſtantium Equorum ſtragem facit, & Venantibus minatur exitium: adeo verum eſt! iracundum Apri dentem ad Chirurgum, & Cervi cornu ad tumulum vocare Venatricem, quę pręſenti diſcrimine facta generoſior aperto decertat Marte, aut quam jugulat aſtute fallit deſperatam feritatem; ſic dolo, ſic virtute belluam ſuperat virgo! Et dolus an virtus quis in hoſte requirat? Interim aliæ ad mortem ferę intrepido vultu convenientes, omnes ſi non Dianæ, ſaltem credi poſſent, ſi arcum tenerent manu, aut gremio Endymionem, nec mora amputato anteriore pede & dextro eius, quem vltro ad dilacerationem deſtinant; petita pręda, ſua victoria ovantes & famelicæ redeunt domum, pręteritorumque tota venatione hiſtoria, longioris itineris faſtidia conſumunt. Et poſtquam Naturæ lapſus, intemperiei vitia, & errores in victus ratione commiſſos equeſtri venatione deleverunt, exhauſtos diurno motu ſpiritus & diſſipatum alimentum, cœna reficiunt lautiori, quæ eò magis ſana fuerit, quò largior, ab ea enim profundiores obrepunt ſomni, concoctio ſequitur felicior, & ſtabilitur ἐυεξία, minuſque mirum ſi vnaquæque Venatrix ſibi ſit Iatralipta, & crimen putet Medico indigere.

VRBANÆ contrà & publicanæ molliores, ad perpetuam Medicorum opem ſuſpirant, pro iis ægritudinibus cicurandis quas movit veſana ſatietas torpentis vitæ: morbi cauſæ ſi deficiant nimia felicitas invenit! nec mirum ſi ex optimi ſucci alimẽtis multúmque nutrientibus, eam ſibi maciem inducant quæ renudat oſſa, & pitiſſando cibos delicatiores, quos cupedinarius ad linguæ delicias & palati ſaporem coxit, ſibi ſorbeant materiam morborum; ejuſque palloris quem mortuos non dedeceret ſi ambularent: putares mera eſſe Danaïdum dolia! niſi Clinicarum & Medentis tam in explendo quam in vacuando par labor, aliquid eſſe ſuaderet ab humano non alienum, cum poſito pudore corpus aperiant alternatim excrementis, medicaminibus, alimento. Aliæ quas ingenioſa gula ſaginavit & otium, multa pinguedine obrutum corpus ægre trahunt, interdum ægrius mentem; ambitioſiſque eduliorum varietate & apparatu factæ præpingues Epicuri de grege porcæ; comeſſationum pulpamenta tuburcinando quæ cruſtularius inſtruxit, vna cum corpore incraſſant mentem, ſpretiſque aliis motibus ingenuarum, ſolam quam norunt exercent τῶ ἀνακλινοπάλην. Interea luduntur ſtultiſſimę fallacibus conſiliis Medicorum, qui cubanti luxurię patrocinantes, putatitios delirantium affectus, malis artibus curant, aut pollicitatione fictitia: frequentiori phlebotomia inanes ſanguine venas crudis rotundant ſuccis, & vacuum intempeſtiva purgatione ventrem, amygdalatis, hordeatis, gelatinâ, conſumptis implent, auenaceo potu, aqua vitulina, & ſimilibus, quæ auara medentium infidelitas ad invaletudinem, morbos prorogandos, excogitavit, & lucrum. Hæc quippe ſingula, appetentiam demoliuntur, coquenti ventriculo faceſſunt negotium, interturbant opus retentricis, fibras ſtomachi relaxando, illius infringunt robur, ciborum diſtributioni obices nectunt, interaneorum genus quodlibet impediunt obſtructionibus, farciunt illuvie turpiſſima, & nociuorum humorum, quos victus intemperantia toto corpore ſparſit, pepaſmum remorantur, an non mulieris otioſę mentem, cibi potuſve ſatietas obtundit? His enim tam animi quam corporis offenſionibus ſuperandis ſat eſſent ſalutares plantarum, quas ignorant, ſucci, fructus; aut ſi ſaperent, ſolus panis vel inedia: quidni pro tot ſordibus confertim ſuſdéque & feliciter expurgandis Emeticum?

CVM homo comedens ſanus eſſe nequeat, niſi exerceatur multum, hoc eſt diutius, ingenſque ſit ſanitatis tutela, non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad laborem, fit vt aulicę venatrices inter quietem & motum nullum non dividant diem, cumque ad eas tantum exercitationes inclinet Natura, quæ vnicuique conveniunt; Illæ ab origine invalidiores & pro ſexus temperamento humidiores & ſubfrigidę, equeſtri obligant ſeſe venationi; vt ſanitas firmior enaſcatur, & cauſa genuina blandi ſenſus, omnis quippe inanitio naturalis inducit voluptatem, quam intenſiorem facit legitima exercitiorum in venatione ſeries, in qua motus incipiunt à levioribus, & progrediuntur ad celeriores, paulatimque ad remiſſos deveniunt; Inde firmantur membra, excrementitiorum humorum inaniuntur reliquię, à quibus antea penè ſuffocatus, reviviſcit natiuus calor; maxime ſi pro modulo virium, innata corporis temperie & probata conſuetudine imperentur. An non toto venationis tempore amœna locorum varietas oculos paſcit? & ſuavis ſtirpium odor olfactus delinit ſenſum? Ipſa aëris libere perflati ſalubritas corpus adjuvat vniverſum, & ſpiritus per ſe lucidi ejuſdem ſerenitate recreantur; mulcentur aures tubę ſonitu; eo ſimul & vociferatione expurganturreſpirationis inſtrumenta; viſcera equitatione concuſſa, ſervatis ſemper Naturę periodis, motu & evacuationis modo, ad ſeceſſum diſponunt, quęcumque veſica, inteſtinis, & vtero nidulantur, aut amant excerni. Quid plura? dum venationi ſtudent Aulicæ, Ruſticarum laborem, & Vrbanarum inertiam, effugiunt omni cura, tempeſtiva exercitatione, carnes & ſuccos minuunt exuberantes, ſomnos ſibi conciliant profundos, collectim ciborum concoctionem juvant, accelerant eorumdem anadoſim, ſuperfluitates abſumendo humidum ſimul cum calore vividum reddunt, bonum corporis habitum ſervant, morantur ſenectutem, & fœcundiores fiunt; ad bellica ſe exercent, periculis ſibi parant audaciam, divitiis invigilant accumulandis, & vitæ morumque integritate, ſenſus atque animi vigorem metiuntur.

Aulicis ergo mulieribus ſanitas firmior ab equeſtri venatione.

Proponebat Lutetiæ PAVLVS MATTOT, Pariſinus. A. R. S. H. M. DC. LXVI.